



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dictamen Illustrissimi ac Reverendissimi P. Mag. Fr.
Gabrielis Adarzo de Santander, Episcopi Viglevanensis,
Ad Interrogata respondens Circa Exclusivam, quandoque
à Principibus interpositam, ne ...**

Adarzo, Gabriel

Francofurti, 1660

Exercet charitatem erga Deum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10517

*Exclusiva exercet charitatem erga
D E V M.*

68 **Q**UOD verò sit actus charitatis, dare testimonium de criminibus ordinandi, ne promoveatur, Probatur; nam charitas respicit Deum in se, & proximum propter Deum; sed depositio de criminibus ordinandi, juxta dictum Ecclesiæ illis verbis *propter Deum*, respicit Deum in se, ergo est actus charitatis: minor probatur, nam dictio illa *propter*, secundum frequentem usum Scripturæ sacræ, denotat aliquid factum ex amore & dilectione alicujus personæ. Genes. cap. 39. num. 5. *Benedixit Dominus domui Ægypti propter Joseph à Deo dilectum.* & 2. l. Reg. c. 9. dixit David, *putasne est aliquis, qui remanserit de domo Saul, ut faciam cum eo misericordiam propter Ionatham?* cum quo anima David erat conglutinata. Et l. 3. Reg. c. 11. *Dixit Dominus Salomoni, scindam Regnum tuum; Veruntamen in diebus tuis non faciam propter David Patrem tuum, quem invenerat juxta cor suum.* Et epist. 2. ad Cor. cap. 4. n. 11. dicebat Apostolus *in mortem tradimur propter Iesum, ad quæ D. Thomas lect. 4. inquit, propter Iesum, id est propter amorem Christi.* Nam hæc inest vis & energia illi dictioni *propter*: ergo qui prohibet ne indignus accedat ad altare Dei, ipsa met prohibitione facit actum charitatis erga Deum:
Patet

Patet consequentia ex illis verbis Ecclesiæ citatis, *exeat, & dicat propter Deum*: Ergo Princeps qui Exclusivam contra indignum repræsentat, zælat DEI honorem, & actum charitatis erga DEVM exercet.

Exclusiva oritur à charitate in Excludum.

QUòd verò etiam exerceat actum charitatis erga proximum excludum, ut indignum ministerio, à quo retrahitur, sequenti ratione ostenditur: Nam secundum Augustinum, *Ep. 5. ad Marcel. nil est infelicius facilitate peccandi, qua pœnalis nutritur improbitas, & mala voluntas roboratur*: sed qui per Exclusivam impedit belligeroso, & inquieto promotionem ad dignitatem, in quâ & ex quâ majorem haberet facilitatem peccandi, istetalis absque dubio removet ab eo maximam infælicitatem: Ergo exercet in eum charitatem. Unde S. Augustinus postquam retulit aliqua sui sæculi vitia, inquit; *Hæc si Deus pollere permittat, tunc indignatur gravius: Hæc si impunita dimittat, tunc punit infestis. Cùm verò evertit subsidium vitiorum, & copiosas libidines inopes reddit, misericorditer adversatur*: applica Exclusivæ doctrinam. Et concludit S. Augustinus, *agenda ergo sunt multa, etiam cum in vitis, benigna quadam asperitate*
plecten-